

des dederunt, fideiq; Sacramentum jurârunt, recepti sunt in gratiam. Mox reflexo ad Visurgim exercitu, in pagum Buchi (quem locum Bokam ad Luppiam intra diœcesis hujus fines haud procul Delbruggiâ nonnulli designant) Angrivarij convenire jussi: & hi territi Regis potentia, haud secus quàm Ostfali, fidem Carolo jurant, obsidesq; dant. Inter hæc pars exercitûs ad inferiorem Visurgim ire jussa; positisque ad Ludbeki vicum castris (quem Lubbeke hodiedum esse volunt infra Mindam) dolo Saxonum castra ingressorum haud levi clade affecti Franci. Quò postquam è vestigio advolârat Carolus, fugientes Westfalos consecutus, ingenti hostium strage ultus est suorum jacturam. His fracti Westfali, haud secus quàm Ostfali & Angrivarij fecerant, paciscuntur, datisque obsidibus & juratâ fide Regi se submitunt.

Annus Christi 776.

Hadriani Pontif. 5.

Caroli M. Franc. Reg. 9.

Jam totam Saxoniam Rex in suam potestatem venisse existimabat, in quam securè Christi religionem introduceret; cùm subitò in Italiam ad Rodgandum Longobardorum ducem rebellantem, regnumq; affectantem avocatur. Vix dum Alpes transcenderat Rex, cùm Saxones nunciantur per ejus discessum Eresburgum arcem expugnasse, ejecto Francorum præsidio; Sigeburgum oppugnatum quidem, sed militum fortitudine & cœlesti ope defensum; ac longè atrociora machinari, nisi subsidia adsint. Quapropter Rex compositis in Italia turbis, eâ quâ venerat celeritate, ex Italia in Germaniam properavit; indictoque WORMATIÆ conventu procerum, ac bello ab omnibus comprobato, exercitum per Rhenum transmisit; famamq; præveniens, stetit Carolus cum exercitu in visceribus Westfaliæ, atq; ad fontes Luppiæ castra metatus est: ubi ingentem hominum multitudinem, miserabili supplicum aspectu, virorum, mulierum, senum, juvenum & puerorum occurrentium habuit, ultra ad Christianam religionem ac Baptismum sese offerentium; quos miseratus Rex ingratiâ recepit; confususque gentis promissionibus ac lacrymis supplicum, cùm id syncerè eos petere crederet, & per Sacerdotes, quantum fas erat, instrui jussisset, fonte Baptismatis ablui permisit. Quanquam multi ex his simulato fictoque animo id fecerint, quâram Regi postea, quàm Deo datam fidem fefellerunt. Et verò per id tempus primores quoq; gentis Westfaliæ & Angrivariæ convenisse, & fidem denuo in publico conventu jurasse Regi, satis Francorum annales perhibent; quando imperatos quoque obsides pro ritu fœderum pactorumque post rebellionem dare jussi sunt. Versabat in omnem modum Carolus Saxonum animos, quò ad Christianam religionem

Ann. Franc.

Carolus iterum rebellantes Saxones bello domitos ingratiâ recipit.

religionem